

Questio XXXIXa

Utrum unum et idem sit substantia et accidens

Queritur utrum unum et idem sit substantia et accidens.

Et videtur quod sic, quia lux est substantia. Probatio: quicquid est perfectivum nobilis substantie est substantia; sed lux est huiusmodi secundum Commentatorem, quia perficit stellam.

Iterum, lux corporis celestis est causa istorum inferiorum; et quod est causa substantie est substantia; ergo etc.

Et lux est accidens. Probatio, quia est sensibilis et omne tale in quantum tale est accidens, quia sensus est qualitas.

Item, corpora celestia, communicando sua lumina (?) cum istis inferioribus, non communicant suam substantiam.

Iterum, quod est formale in luce, ut splendor, est accidens.

Iterum, lux est perfectio coloris et color est accidens; ergo lux est accidens.

Ad idem super VII Metaphysice.

Item, in minus potest lux quam accidens sive species accidentis; ergo multo fortius lux est accidens. Quod possit in minus videtur sic. Si domus sit valde obscura (?) et tamen ingrediatur sol per forum aliquod et (?) in domo illa, constat quod non (?); unde in aliis partibus tenebre adhuc est (?). Sed si oculus esset in tenebra, videret (?), quod non contingeret nisi multiplicaretur in tenebra (?) (?) Species lucis non multiplicatur. Si ergo species coloris sive color potest multiplicare se ubi lux non potest, tunc potentior est accidens aliquod (?) quam lux. Cum ergo magis potens quam lux est (?), tunc lux non erit substantia, sed accidens.

Questio XLa

An accidens, cum multiplicat speciem suam in medio vel ad sensum simul cum specie accidentis conmultiplicetur aliquid substantie deferentis illud accidens

Queritur an accidens, cum multiplicat speciem suam in medio vel ad sensum simul cum specie accidentis conmultiplicetur aliquid substantie deferentis illud accidens.

Et quod non videtur: forme luminare corporis celestis multiplicant se in diaphano; et ipsa lux est accidens, quia omne sensibile est accidens; sed lux in diaphano est sensibile; ergo lux illa est accidens. Quod autem nihil forme substantialis conmultiplicetur, videtur sic: dicit Aristoteles in libro De generatione quod non externis (?) se faciunt quecumque nec sunt contraria nec ex contrariis; sed forma substantialis corporis celestis nec est ex contrariis nec est ei aliquid contrarium; ergo forma substantialis eiusdem non facit se extra se.

Item, minus transmutabiles sunt species quam forme earundem specierum. Et hoc quia propter materiam est transmutabilitas; quod ergo magis unitur materie magis est transmutabilis (? pro: transmutabile). Sed forma magis unitur materie (materie interl.) quam sua species; ergo species minus transmutabilis est. Sed forma substantialis celi non in tantum transmutatur quod faciat se extra se per transmutationem; ergo nec species eius similiter.

Item, que magis videntur multiplicare speciem ad sensum quam forma substantiali celi non multiplicant (speciem suam in sensum, quia, si multiplicarent scr. sed exp.); ergo nec forma substantialis celi. Numerus enim et magnitudo et huiusmodi sensibilia (?) non multiplicant speciem suam in sensum, quia, si multiplicarent, essent activa (?) in sensum; sed non sunt activa (?) in sensum. Probatio huius assumpti (?): oculus caret omni colore ut recipiat omnem colorem (?); si ergo oculus deberet speciem magnitudinis recipere, necesse esset quod similiter careret omni magnitudine. Sed hoc falsum; ergo primum.

Ad oppositum: nobilitas forme est se multiplicare; ergo quanto forma est nobilior, tanto magis multiplicabit se; sed forma substantialis est nobilior quam accidentalis.

Item, sicut res ad rem, sic species ad speciem; sed accidens preexigit substantiam; ergo et species accidentis speciem substantie.

Item, nisi multiplicaretur speciem substantie ad sensum, tunc non (non interl.) cognosceretur substantia, quia omnis cognitio nostra ortum habet a sensu.

Item, totus ignis agit in totum aerem, per Aristotelem, libro De generatione; sed hoc non posset esse nisi forma substantialis emitteret suam speciem in profundum patientis.

Item, minus nobile non excitat magis nobile; sed forma accidentalis minus nobile est quam forma substantialis; immissio ergo forme accidentalis ignis in aerem non excitat ad productionem alterius forme substantialis. Sed constat quod altera forma substantialis inducitur in materia aeris; ergo ignis non solum immittit speciem forme accidentalis, sed simul cum hoc speciem forme substantialis.

Solutio: ad primum problema dicendum quod substantia et accidens non sunt idem.

Quidam tamen dicunt quod substantia et accidens possunt esse idem. Sed illud est substantia uno respectu et alio respectu accidens, sicut dicunt quidam quod forma primo est accidens in se, in quantum tamen perficit hanc materiam, supponit compositum in specie; sic est substantia.

Sed illud improbatum est super VII Metaphysice.

Argumentis in oppositum dicunt quidam quod lux in medio nec est substantia nec accidens. In suo fonte, ut in corpore solis vel in alio corpore luminoso, in veritate est accidens, licet tamen propter defectum nominum formarum substantialium dicimus quod lux est forma substantialis corporis luminosi, sicut dicit Commentator quod stella non est nisi maior aggregatio lucis. Unde huic consentit Commentator alibi dicens quod, quia forme substantiales elementorum sunt ignote nec sunt nota illis inpo^{ta} (?), utimur gravi et levi

pro formis substantialibus elementorum. Ponunt ergo isti quod lux in medio nec est substantia nec accidens.

Contra: nulla species denominat illud in quo est nomine sui principii; non enim dicimus quod medium est coloratum, licet species coloris in medio multiplicetur. Possumus tamen bene dicere quod medium est immutatum luce (luce mg.); ergo non sola species lucis in medio multiplicatur.

Item, nihil videtur per solam speciem nisi illud quod est directe obiectum visui, quia non videmus coloratum situm a latere nostro neque retro nos, sed solum coloratum quod est nobis directe obiectum. Arguo tunc sic: nihil multiplicans se (se interl.) per solam speciem videtur a latere; sed lux videtur a latere (ut si ymaginemur domus, si aliquis sit in domo, bene videbat lucem ? a latere scr. sed exp.); ergo etc.

Item, speciei non est species; si ergo lux esset in medio ut sola species, tunc non faceret speciem in alio. Sed si teneatur speculum (in alio scr. sed exp.) contra obiectum aliquod, erit species obiecti in speculo et etiam species medii illuminati, quia in speculo apparebit simul cum specie obiecti totum medium illuminatum. Et si hoc, lux in medio non est species.

Item, a nostris magistris datur talis distinctio: (?) quedam multiplicat et extendit, ut forma carnis secundum speciem, quod (?) caro secundum speciem illud radicale principium quo sumpsimus a primis parentibus nostris (?) illa caro non esset a fecunditate sue forme sui (?) sumpta esset et etiam nisi extenderet non esset (?) secundum materiam in qualibet parte corporis. Et ista multiplicatio (?) non est ut multiplicatio speciei, sed rei. Alia est forma que extendit et non multiplicat, ut forma elementaris. Et hec (?) (?) secundum quod res est extendit se (se interl.). Et tertio modo est forma que multiplicat se (se interl.) et non extendit secundum ipsos, ut forma lucis. Cum ergo omnes alie partes dentur / secundum quod res sunt, ergo lux multiplicabit secum ut res est.

Quidam bene concedunt quod lux non multiplicatur (lux scr. sed exp.) in medio secundum quod est sola intentio. Unde quidam dicunt sic, quod lux in medio est accidens propter hoc quod est quoddam visibile, et omne tale est in tertia specie qualitatis. Et cum hoc ponunt quod nihil substantie celi multiplicatur hic inferius.

Sed quod aliquid substantiale ipsius celi conmultiplicetur, videtur sic: omne accidens habet subiectum aliquod a quo dependet; sed lux non dependet a medio; aliud ergo conmultiplicatur cum luce (que quidem accidens est scr. sed exp.) a quo dependet lux et quod est subiectum proprium ipsius lucis. Probatio minoris: quod dependet ab alio ut ab subiecto non numeratur in eodem; sed lux numeratur in aere sive in medio. Probatio: si inter duo corpora luminosa ponatur aliquod corpus opacum, apparebunt ibi due tenebre sive due privationes lucis, quod non contingeret nisi prius in illa parte essent duo lumina numerata (numerantur et lumina scr. sed exp.). Et si hoc, lux non dependet a medio. Et si hoc, non est in illo ut in subiecto. Et hoc adhuc a quibusdam conceditur.

Aliter dicitur sic: quod est substantia lucis et splendor, (?) quod splendor, sic est visibile. Et sic est qualitas sive accidens; secundum vero substantiam lucis, substantia. Est etiam multiplicatio substantie lucis ubi non est lux splendens, quia per virtutes luminare generantur malia (?) in ventre terre, et tamen non est ibi aliquis splendor lucis. Et etiam de nocte fiunt generationes mediantibus virtutibus luminaribus, que sunt agentia universalia.

Contra: si substantia lucis multiplicatur hic inferius, aut ergo est illa substantia corporea aut incorporea. Si sit substantia incorporea, tunc est intelligentia vel aliquod huiusmodi separatum. Hoc falsum est; ergo primum. Si corporea, cum sit simul in loco cum aere sive medio, tunc duo corpora erunt in eodem loco.

Ad illud (illud interl.) argumentum probans (? interl.) quod lux in medio nullo modo substantia est: dicendum quod lux non est incorporeum, sed corporeum, quia est habitus procedens a corpore et est habitus medii nec dependet a medio nec etiam potest lux multiplicari nisi in medio, ut (ut interl.) diaphano, quia Aristoteles in II De anima improbat opinionem Empedoclis ponentis vacuum esse, quia Empedocles ponit quod propter vacuum quod est inter nos et celum, si in celo esset formica, videremus formicam. Et improbat Aristoteles hoc dicens, quod, si vacuum esset, nihil videretur omnino, quia non esset aliquid illuminatum. Sic secundum Aristotelem patet quod lux <non> multiplicatur in vacuo.

Dicitur igitur sic, quod quedam corpora sunt absolute penetrationis, sicut lux, et sic lux potest esse simul loco cum aere sive medio (tunc duo corpora erunt in illa que sunt absolute penetrationis scr. sed exp.). Et quedam sunt corpora absolute expulsionis; et huiusmodi nullo modo compatiuntur se in eodem loco, cuiusmodi sunt lapides, ligna etc. Quedam autem sunt corpora medio modo se habentia, scilicet que nec sunt absolute expulsionis nec absolute penetrationis, quia, quando vapores ascendunt a fundo aque, non expellunt simpliciter; et propter hoc non adgeneratur maior quantitas aque (scilicet quia vapor recipit resistantiam ab aqua scr. sed exp.). Et quia iste modus loquendi non est multum naturalis, sed potius theologicus, ideo omittatur.

Aliter dicitur sic et forte melius secundum mentem Aristotelis, quod non est substantia absolute, sed est forma substantialis, ut aeris. Sed hec forma substantialis dicitur dupliciter, vel quia sit forma que est altera pars compositi, sine quo non potest compositum manere, ut aeritas est forma substantialis aeris, quia pars essentialis et sine qua forma non potest aer in esse suum conservari, et sic non est lux forma substantialis aeris. Aliter est forma substantialis que est substantialiter ad habitum quemdam essentialem medii, ad cuius habitus destructionem non sequitur destructio medii. Et quod huic consentiat Aristoteles patet (patet interl.) in II De anima, capitulo De sensu in communi, in illo passu: Cuius quid igitur est visus est visibile, dicens quod: lumen est accidens lucidi secundum quod lucidum. Et paulo post: est autem tenebra privatio habitus. Et sic per Aristotelem patet quod lux est habitus medii ad cuius destructionem non destruitur medium.

Iterum, Commentator: lux non est nisi habitus medii.

(Inter illos scr. sed exp.) Preterea, dicit Aristoteles quod neque est corpus neque fluxus a corpore. Et exponit Commentator 'fluxum a corpore' dicens quod potest intendere per illud corpora manifesta que fluunt a corpore naturali secundum considerationem, licet sint secundum esse in corpore.

Solutio ad secundum problema: dicendum quod non solum est multiplicatio speciei accidentis in medio, sed aliquo modo species forme substantialis multiplicatur. Hoc tamen est primo et (non interl.) per se, quod color multiplicet se. Quod autem forma substantialis multiplicet se, hoc <non> est per se et non primo, propter hoc quod sub multitudine forme accidentalis patet multiplicatio forme substantialis.

Huic videtur Aristoteles consentire cum dicit quod lapis non est <in> anima, sed species lapidis. Sed si solum color lapidis esset in (in interl.) anima, non esset tota species lapidis in anima. Manifestum est ergo secundum Aristotelem quod species forme substantialis conmultiplicatur.

Item, de nullo iudicatur in intellectu nisi de illo quod prius fuit in sensu (in sensu interl.); sed tam de substantia quam de qualitate obiecti fit iudicium in intellectu; ergo tam species unius quam alterius in sensu multiplicatur.

Item, si solus color faceret se in (?) sensum, tunc, cum bruta non (iudent ? scr. sed exp.) iudicent nisi tantum de hoc quod in sensum recipitur, tunc brutum, ut canis, non plus cognosceret dominum suum quam aliquod aliud animal, dummodo essent eiusdem coloris, quod scimus esse falsum; ergo primum.

Item, si hoc est verum, quod sola species coloris recipitur in organo, tunc agnus non plus fugeret propter presentiam lupi quam propter alterius animalis eiusdem coloris, quod scimus similiter esse falsum.

/ Dicendum ergo quod utrumque speciem multiplicat, tamen color est illud quod primo et (non interl.) per se immutat sensum et (quia interl.) sub specie coloris conmultiplicatur forma substantialis. Unde (per rationem scr. sed exp.) dicendum quod forma substantialis ipsius celi multiplicat speciem suam hic inferius.

Ad primum argumentum in contrarium: dicendum quod, cum dicit Aristoteles: quod non externis se faciunt quecumque etc., hec propositio est intelligenda quod non externis se faciunt ad generationem et corruptionem, que nec sunt contraria etc. Bene enim scimus quod corpora celestia multiplicant suas virtutes hic inferius ad conservationem (cos'vam) et (?) virtutes luminares corporum celestium faciunt se inferius se extra ad immutationem, et tamen virtuti celesti non est aliquid contrarium. Secundo argumento probanti minorem dicendum per distinctionem huius quod est 'alligari materie', quia, comparando in gradu rei, quedam forma magis est conditionibus materie ligata, sicut forma intelligentie minus ligatur materie, hoc est minus sequitur conditiones materie, quam forma celi, et illa minus (ligatur scr. sed exp.) quam forma elementaris, et illa minus quam forma mixti, et sic, semper descendendo. Vel minus ligatur materie non secundum gradum rei, sed

unde est res et aliud intentio; et sic forma que res est in substando magis alligatur materie quam sua species sive intentio. Sed hoc habito, distingo sic: quedam est transmutatio que est per contrarietatem, et est in deficiendo, quia contrarietas est causa corruptionis, et hec transmutatio est in elementis. Alia est transmutatio que est in proficiendo, et hoc tantum in presentia agentis, sicut multiplicatio habitus realis in medio que est lux; et multiplicatio fit ad habitum, et sic in proficiendo; et hec fit per presentiam corporis luminosi. Vel in deficiendo, et hoc per absentiam agentis, quia absente corpore luminoso fit mutatio habitus in privationem (illu scr. sed exp.), ut illuminationis in tenebra, que mutatio est alicqualis transmutatio.

Unde multiplicatio est duplex: vel realis vel intentionalis. Si realiter, hoc dupliciter, quia aut multiplicatur commune in plura supposita, et sic multiplicatur forma communis in sua supposita, aut est multiplicatio alicuius per aliquem suum habitum realem, et sic multiplicatur lux in medio. Aut est multiplicatio intentionalis, sicut speciei. Si autem loquamur de multiplicatione forme per supposita, sic quanto forma, que res est, magis ligatur materie, tanto magis multiplicatur. Si autem loquamur de multiplicatione (alicqualis scr. sed exp.) substantialis habitus in alio, sed in corporalibus (?), forma minus ligata materie magis se multiplicat; magis enim se multiplicat forma celi quam aliqua forma elementaris et forme stellarum magis quam forme aliarum partium orbis. Et sic forma minus ligata materie magis transmutatur transmutatione que est multiplicatio sic dicta in genere corporum. Item si loquamur de multitudine intentionali, tunc, cum corpora celestia apertius videantur quam alia (alia iter.) corpora, sic adhuc inter formas corporales forma materie magis ligata minus multiplicat suam speciem in sensum. Hoc viso patet responsio argumento.

Ad alia duo argumenta patet responsio super quaternum De memoria et reminescentia, super illam questionem: an magnitudo immutat speciem in organo.

Questio XLI

Utrum sit inconueniens idem esse bonum et malum

Consequenter, arguit Aristoteles sic: si omnia sunt unum, tunc idem est bonum et malum. Quod autem non sit inconueniens idem esse bonum et malum, probatio: esse est per se entis; ergo esse mali est per se entis. Sed malum non est ens nisi a bono, quod est per se ens. Sed a quocumque est malum, ipsum est malum; bonum ergo est malum.

Item, quidam supposuerunt quod est summe malum sicut est aliquod summe bonum, quos reprobatur Aristoteles, dicens quod non est summe malum. Tunc sic: omne malum est causatum; aut ergo a bono aut a malo. Si a malo, tunc eadem est questio, et ita aut erit procedere in infinitum aut tandem dandum est quod aliquod malum est causatum a bono. Sed quod est causa mali est malum; ergo aliquod malum est bonum..